



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De seruorum ordinatione. xxxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

litem intulit, sexaginta solidos persoluat, & quod repetit euindicare non valeat, sed præfens ingenuitas, mea vel aliorum bonorum hominum manibus roborata, cum ad stipulatione subnixa, omni tempore maneat inconuulsa.

De seruatorum ordinatione. Cap. XXXI.

DE seruatorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscretè promouentur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare debere, & statutum est, vt nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promouere præsumat, nisi prius à dominis propriis libertatè consequuti fuerint: & si quilibet seruus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere cõductis, vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos peruenerit, decretum est vt deponatur, & dominus eius eum recipiat. Si verò auus, aut pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem prouincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & vtrum seruus sit ignotum sit, & postea veniens dominus illius legibus eum adquisierit, sancitum est, vt si dominus eius illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eum cathena seruitutis à castris dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat: quia iuxta sacros canones vilis persona manens, sacerdotij dignitate fungi non potest.

Ex eodem cap. 82.

De Ecclesiarum seruis. Cap. XXXII.

DE Ecclesiarum verò seruis communi sententia est decretum, vt archiepiscopi per singulas prouincias cõstituti nostram autoritatem sequantur: suffraganei autem illorum exemplar illius penes se habeant, & quodcumque de familia Ecclesiæ, vtilis inuentus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa autoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus & omni clero ante cornu altaris sicut in nostra autoritate continetur remota qualibet calliditate libertatem consequatur: & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoueatur.

Ex eodem concilio, cap. 33.

Vt pœnitentes vel digami nõ promoueantur. Cap. XXXIII.

VT digami vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad sacerdotium non promoueantur.

Ex cõcilio Auralat. cap. 3.